

De exostosi. Theses anatomico-chirurgicae / [Jean Baptiste Delort].

Contributors

Delort, Jean Baptiste.
Sue, P. 1739-1816.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Typis Michaelis Lambert], [1774]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xf2rnetf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



D. O. M.
DE EXOSTOSI.
THESES
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

Q u o vivimus motu, eodem continuò morimur; ad vitam enim moveri essenziale: hinc jugis illa partium deperditio, necessarium interitûs & ruinæ rudimentum. Ne mireris ergò quòd ex tenerrimis machinulis conflatus homo, tam citò fatiscat. Quantò autem facilius erit hæc ruina, si innatæ jungatur debilitati irruens sæva morborum cohors! Quid? si ipsa afficiantur ossa, totius ædificii fundamentum & basis? Hoc tamen non rarum, & morbus de quo agere hîc mens nobis est, *exostosis*, frequentius heu! ossa vel maxima invadit. Antequàm verò hanc describamus, pro vetusto scholarum more, partium quæ morbi sedes sunt, anatomica tractatio à nobis exponenda; de ossibus ergò generatim dicendum.

Delort Defend — sue Propri



E X A N A T O M I A.

Partes corporis durissimæ sensûs expertes, fulciendis defendendisque mollibus destinatæ, sunt ossa, quorum externa configuratio primùm consideranda, nempe ipsorum magnitudo, figura, partes, & color. In ossium magnitudine horum longitudo, amplitudo, & spissitas attendendæ. Partes sunt ossis tres præcipuæ: scilicet corpus & extremitates.

Duplicis generis sunt eminentiæ, quarum aliæ ossis corpori continuæ sunt; ita ut unam constituent partem, & *apophyses* dicuntur; aliæ tanquam partes additæ & ossis corpori accommodatæ haberi possunt, & vocantur *epiphyses*: hæ verò plerùmque in infantibus solis perspicuntur; nam in ætate grandiori apophyses fiunt. Sint in exemplum eminentiæ tres quæ in parte femoris superiore adsunt, & quæ maceratione in aqua vel alio medio facillè in pueritiâ separantur ab ossis corpore, difficillimè verò disjunguntur in adulto.

Variis designantur nominibus tùm *apophyses*, tùm *epiphyses*, pro ipsarum figurâ, usu, & situ. Undè relativè ad figuram *caput*, *collum*, *tuberositas*, *coronoides*, *styloides*, *mastoïdes*, &c. relativè ad usum *trochanter*, relativè ad situm *transversa*, *obliqua* dicuntur. Communes usus habent *apophyses* & *epiphyses*, qui ad ossium articulos præcipuè pertinent, explicitâ magis extremitatum superficie; ad muscutorum insertionem præcipuè conferunt ossium eminentiæ.

In duas classes dividuntur ossium externæ csavitate, quarum aliæ articulationibus ansam præbent, aliæ nihil iis inserviunt. Magnæ vel parvæ priores. Illæ *cotyloïdes* dicuntur, quales sunt ossium innominatorum cavitates. Hæ *glenoydes* dicuntur, quales sunt scapularum cavitates. Innumera sunt cavitatum nomina, quæ nullum pro articulationibus usum habent: vocantur enim *fovea*, *sinus*, *sinuositas*, *scissura*, *foramen*, *canalis*, *fissura*, &c. Pleræque illæ cavitates in uno osse inveniuntur: sunt tamen aliæ quæ per plurium ossium unionem efformantur: undè in communes & proprias distinguntur: communium

exemplum adest in orbitâ quæ septem ossibus componitur ; propriarum exemplum vide in coronalibus foveis ossis coronalis.

Ad ossium externam conformationem referuntur quoquè horum connexio, periosteum, cartilagines, ligamenta, glandulæ mucilaginosæ, & synovia. Cùm autem hîc longior foret harum partium descriptio, pro viribus cuique interroganti dabitur responsio.

Fibris componuntur ossa, quarum intertextura tres efformat substantias, dictas, *aliâ compactâ*, *aliâ cellularem vel spongiosam*, & *tertiâ reticularem*. Extûs perspicitur prima, dùm intûs cernitur secunda: sunt etiam ossa, ut ea quæ carpum & tarsum constituunt, ubi omnem ferè massam componit hæc substantia. In aliis ossibus, cylindricis putà, ut femore, tibiâ &c. extremitates tantummodò occupat substantia cellularis, cùm horum ossium partem mediam substantia compacta ferè omninò adstruit. Lamellis hæc in sese invicem incumbentibus efformatur: quæ quidem lamellæ in ossibus per longum temporis interval- lum æris injuriis expositis facilè patent; sicut & in ossibus maceratis & in acido minerali copiosâ aquâ debilitato emollitis. Has inter se adhærere, mediante succo glutinoso, cujus existentia vix demonstrari potest, huc usque creditum fuit: *Gagliardus* autem putabat plurimis in locis diversimodè has interrumpi parvis officulis, vel clavis quibus inter se connectebantur: solus autem talem vidit dispositionem; undè vix huic fides habenda. Verisimiliùs quidem est lamellas inter se uniri fibris quæ ex unâ ad aliam transeunt; forsan etiam ab harum mutuo contactu pendet earundem cohæsiô: ossium soliditas à substantiâ compactâ præcipuè oritur.


Ossibus in longis, ut femore, humero, &c. pars media spississimâ gaudet substantiâ compactâ; hanc verò postea eò usque minuere observatione constat, ut in extremitatibus ossis levissima sit; quod provenire videtur à successivâ lamellarum internarum separatione, quæ diversis modis incurvantur ad substantiam cellularem efformandam. Ea igitur sola animadvertitur differentia inter substantias compactam & cellularem, quòd in hâc remotissimæ sunt lamellæ, dùm in illa maximè proximæ sunt, & per omnia ferè puncta sese tangunt.

Rete quoddam efformat substantia reticularis, undè etiam huic nomen. Fibris componitur solitariis & vario sensu implicitis: plus minusve spissa est variis in ossibus, & in nonnullis, præcipuè in minimis, multam habet cum substantiâ cellulari analogiam: medullam sustinere & fulcire pro usu habet.

In maximas, mediocres, & minimas dividi possunt ossium internæ cavitates. Priores videas in ossium longorum parte mediâ, ut in femore, humero, tibiâ, &c. Mediocres, sunt cellulæ, hoc est, interstitia à substantiâ spongiosâ efformata: varias & magnitudinem & figuram habent hæ cavitates, & inter se communicant. Ad minimas cavitates referri possunt foramina & canales vasorum transitui inservientia, sicut & insensiles porositates quibus medullæ partes subtilissimæ ossium substantiam penetrant.

Parte ossium recentium in interiore perspicitur substantia mollis, *medulla* dicta in ossibus longis, ubi massam parte mediâ efformat, & *succus medullosus* in eorundem ossium parte cellulari & in omnibus aliis ossibus. Magnam cum adipe similitudinem habet medulla: undè non sine ratione putant quidam harum usus ferè eosdem esse. Medulla enim per venas in sanguinis massam rediens, salium acrimoniam, sicut adeps, minuit: hujus pars subtilissima inter osseas fibras continuò sese insinuans, has suâ onctuositate emollit, magis flexibiles & submissas reddit, ideòque minùs fragiles. Plurimis comprobavit experimentis celeberrimus *Duverney* minimas medullæ concussionem maximè dolorificas sensationes excitare: quod certè ab ejus parte membranaceâ pendet, cum plurimis nervis obruatur.

Omnes ossium recentiorum partes vasa sanguinea habent, quæ ad tres classes reduci possunt, quorum alia partes ossis externas percurrunt, alia in horum substantiam sese insinuant; ultima tandem usque ad cavitates internas penetrant. Hæc ad Anatomiam sufficiant; nunc ad Chirurgiam deveniamus.



E X C H I R U R G I A.

Exostosis est tumor in ossis superficie natus , vel hujus corporis tumefactio , vividissimo in primordiis stipata dolore. Diversas quidem in classes distribui possent exostoses : nobis autem sufficit duas tantum ponere præcipuas , quarum una *per infiltrationem* , & altera *per effusionem* dicuntur. Universalis vel particularis est prior , universalis , quandò totum os afficitur , particularis , quandò una tantum hujus pars ægrotat. De posteriori exostosi eadem statui potest divisio. Ossa in quibus plerumque universalis non est exostosis , sunt femur , humerus , tibia , peroneum , radius , cubitus , costæ , ossa innominata & ossa cranii. Sæpius è contrà universalis observatur exostosis in carpi , metacarpi , tarsi ossibus , in vertebra aliisque similibus.

Quàm maximè variæ sunt exostosium causæ : sunt enim quædam ictu , lapsu , vel alio exteriori obstaculo productæ : aliæ ab ipso sanguinis vitio , ut venereo , scorbutico , cancroso , &c. proveniunt. Osseas perspicui supereminetias in fracturis propè collum rarum non est. Hæ verò à succis ossibus fractis suppeditatis non oriuntur ; veniunt plerumque à nimia & continuâ compressione in partes à spleniis vel ligaturis nimis strictis & durioribus exercitâ. Exostoses quoque carnibus repletæ nonnunquam inveniuntur , & in Magistri celeberrimi *Petiti* de ossium morbis tractatu talis adest observatio. Quæ ossa spongiosa & præcipuè epiphyses invadunt exostoses , eæ multò ampliores quàm aliæ superveniunt.

Diversa quoque sunt hujus morbi signa : facile certè distinguitur benigna exostosis , præsertim si à causâ externâ producta fuerit. Ictus enim hanc procreare potest , & tunc per se dolorifica non est , cutisque quâ involvitur nec tumet nec rubet. Ictus , lapsus , antiquum ulcus , œdematosa tumefactio , &c. antecedentia ferè semper sunt signa quæ exostosim à periosteï vitio natam esse designant. Ulcera quoque cum varicibus quæ in ossium viciniâ sedem habent os sæpius alterant. Aliarum exostosium signa , ut scorbuticarum , venerea-

rum , cùm ab horum vitiorum signis desumantur , hîc locum invenire non possunt.

Exostoses quæ post incisiones & contusiones in ossibus superveniunt , multò minùs periculosæ sunt , quàm eæ quæ ulcerum , abscessuum criticorum , vel fracturarum sequelæ sunt. Omnium minimè malæ , benignæ exostoses. Suam sibimetipsi sæpè conciliat medelam quæ in rachitide provenit exostosis : lethifera verò est cancrofa , nisi totum auferatur membrum. Et in hoc etiam ultimo casu funestissima nonnunquàm superveniunt accidentia , præcipuè si morbificus humor labem suam in aliam partem deposuerit.

Frequentissimi exostosium exitus sunt resolutio , induratio , & suppuratio. Per putredinem & delitescentiam sese terminare quoquè posse exostoses jure ac meritò affirmari potest , cùm horum exituum nonnulla adsint exempla. Primus exitus , nempè resolutio , benignior est & maximè salutaris , remediis ad antecedentem causam debellandam aptis cum successu adhibitis. Quando cutis quæ exostosim investit , rubescit & dolorem habet , hoc est signum suppurationem non procul abesse. Si mollis fiat tumor , si rubedo & dolor minores evadant , hoc est signum jam in exostosi adesse suppurationem , & fluctuatio etiam tunc distinguitur , si intelligenti digito palpetur tumor. Extirpationem solam indicat maligna exostosis , præcipuè si incassum adhibita fuerint omnia remedia ad causam internam radicitùs evellendam maximè opportuna. Morbus localis tunc tantummodò oppugnandus & operationibus debellandus Chirurgicis , quæ terebrâ , ferrâ , scalpro , forfice , malleo , celebrantur : omnia quoquè in hoc casu applicanda olea , extracta , tincturæ , & dissolutiones quæ ad ossium exfoliationem conciliandam in usum vocantur.

Quando suppurationis viam secuta est exostosis , apertura puri ineunda usquè ad locum ubi sedem habet , sive in partibus molli- bus , sive in osse ipso. Quando post longiorem per remediorum interiorum usum tractationem semper eadem est exostosis , incisio crucialis hanc super celebranda , pars angulorum cutis abradenda ,

& vulnus postea ficciter deligandum. Apparatus postera die extrahitur, & applicatur perforans terebra, quâ plurima profunda foramina efformantur, inter se satis proxima, & omnem qui auferri debet tumorem occupantia; tunc forcice incisorio, juvante malleo plumbeo, illud omne quod perforante terebrâ trajectum fuit, abraditur. Ea est foraminum utilitas, quod ab his debilitatum os, facilius secetur, nec periculum sit illud in partes varias discedere. Si magnus sit tumor, & forcicis ac mallei ictus pluries ferendi, ad posteram diem vel aliam operatio differenda. Cum omnes partes vitiosæ sublatae fuerint, ficciter vulnus deligandum; &, ut celerior fiat postea exfoliatio, super ulcus dissolutio mercurii ab aqua forti vel spiritu nitri composita applicatur. Cætera pro artis lege perficienda usque ad perfectam sanationem.

Tertio in actorum Academiae Chirurgiæ volumine, curiosa & docta celeberrimi Magistri *Houflet* dissertatio legitur de ossium cylindricorum exostosis, cum novæ exostosis speciei descriptione. Plurimæ in hac dissertatione relatæ observationes probare videntur hanc esse regulam generalem, nempe quoties in ossium cylindricorum cavitatibus excessivè accumulati fuerunt ossei succi, toties sese distendere debere easdem cavitates, & os ad minus volumen reduci. Nonnunquam etiam rumpitur, dum reliquus canal, in quo collecti non fuerunt succi vitiosi, naturalem figuram & magnitudinem conservat. Sic in exostosi femoris à Magistro *Tripplier* coram Academiâ demonstratâ, amborum pedum & magis circumferentiam præ se ferebat os. Per mediam partem secato tumore, ampla perspiebatur cavitas per femoris fibrarum expansionem producta, & quinque circiter liquidj in hac collecti pintas continens. Duæ ex hac observatione & aliis spontè omissis, resultant eliciendæ consequentiæ quæ probant: 1°. Lymphaticorum succorum in ossium cylindricorum cavitatem effusionem. 2°. Eorundem ossium substantiæ expansionem, quæ producitur à succis è fibris osseis ruptis & divisis distillantibus, in alterutrum membri latus crescunt; & longum tantummodò post temporis intervallum, prout major fit effusio, os circumvolvere videtur

tumor ; atque etiam observatur multò magis in loco ubi incipit ;
quàm in omni alio , hunc prominere.

F I N I S.

*HAS THESES , Deo juvante , & præside M. PETRO SUE juniore ,
Artium & Chirurgiæ Magistro , Collegii Regii Chirurgiæ præfecto ,
Regiæ Chirurgiæ Academiæ Consiliario , Anatomes & Chirurgiæ in
Scholâ Præcticâ antiquo Professore , Societatis Regiæ Monspel-
liensis Correspondente , nec - non in generali Parisiensi Præfecturâ
Chirurgi ordinario ; tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA DELORT ,
Burdigalus , Artium Liberalium Magister , & in almâ Burdigalensi
Facultatē Medicinæ Doct̃or , Theseos Auçtor.*

P A R I S I I S ,

I N R E G I I S C H I R U R G O R U M S C H O L I S ,

*Die Martis , vigesimâ-quintâ mensis Octobris , Anno salutis 1774 ,
à sesqui - secundâ post meridiem ad septimam.*

P R O A C T U P U B L I C O

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A .



Typis MICHAELIS LAMBERT , Regii Chirurgiæ Collegii Typographi ,
viâ Cithareâ , 1774.

| K. u. k. KLINIK - ärztliche Bibliothek | | | |
|--|--------|--------|--|
| andort | Zimmer | abth. | |
| | Kasten | | |
| | | Gruppe | |